



## INTRODVCTIO.

**N**aves aduerso flumine ventoue nauigantes, funibus in culmine mali rostroue alligatis modo ab hominibus, vti in Albi, Viadro, Visurgi, modo ab equis aut bobus, vti in Danubio, trahi, experientia docet; in Gallia ab vrbe Diuoduno vsque ad Lugdunum Aeduorum plerumque nauigari in Rhodano, nauesque ab equis vehi constat, atque apud Batauos naues adeo trahi solitae appellantur Trek-Schuyt, vt ne plura alia exempla legam. In hanc rem semita quaedam in ripis est comparata, quam homines bouesque et equi nauem trahentes insistant, et accolae riparum aliquo adeo graminum, lignorum frugumque damno pati tenentur<sup>1)</sup>. Cum igitur inter nauetas circumque colentes saepius de iure vtrunque competente quaestio moueatur, huiusque semitae iura legibus publicis fere definita non sint, neque quisquam, quantum equidem memini, huius rei iura ex moribus maiorum, iurisque analogia distinctim exposuerit, operae pretium existimaui breui hac de re dicere.

CA.

- 1) De terminis nautarum haec monebo. Semita ista dici solet LEINPFAD, seu via, in qua nauem fune trahentes iuxta flumen incedunt. Pfad significare semitam, Leine autem funem, tratatitium est, et in *tabulis anni 1376. ap. LVINIGIYM Corp. Iur. Feud. T. I. p. 386.* Episcopo Treuirensi tribuitur *conduetus super fluuium Mosellae, vna cum Strata eius utrobique dicta Linpad.* Plura documenta hinc illinc dabo. In Saxonia appellari solet illa nautarum semita der Troedel a tarditate forte, qua iter hac semita peragi solet. Homines, qui trahunt nauem, nominantur Baum-Etscher. Baum hoc loco significare malum, palam est. Etscher autem mihi a fune dicti videntur, quo naues ducunt, eamque vocem ex Anglo Saxonico repetendam puto, vbi Aedre tendinem, neraum, funem significat. Inde facile fieri potuit, vt nauem trahentes nomen inde acciperent.

A